



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus XXI. De Societate Lanionia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

ponere hanc clausulam, ut fructus illius à concedente Domino percipiantur, si talis res data ad Dominum ut pignus revertatur. Ipse autem feudatarius ab obsequio personali; Emphyteuta vero à pensione immunes interea præstandâ fiant.

36 Dico 2. Fructus ex pignore usufructuario, usufructuario, & conductitio percepti probabiliter in fortem computandi erunt. Ita contra Panormitan. in cap. conquestus; de usur. n. 2. Angel. usura 1. §. 11. & verbo feudum. §. 21. Mercado de usura: cap. 3. Vega verbo usura: casu 56. n. 6. Sentiant cum communi Covarruvias 3. vari. cap. 1. n. 4. Molina disp. 323. post init. Salas de

usura. dub. 31. n. 4. Palao disp. 4. de Just. pu. 22. n. 6.

Probatur. Talis Dominus directus neque potest hos fructus suos facere eo eo, quod in tali casu acquisiverit huius pignoris dominium etiam utile, cum hoc probari nequeat; & isto pacto non amplius habet rationem pignoris; nec ullius legis dispositione, nec ex tacita, vel expressa conventionione, tempore celebrati contractus facta. Cum de his omnibus nihil constet; ergo &c. neque decisiones de feudo, & Emphyteuti factæ ad ceteros contractus valdè dissimiles sunt extendendæ.

CASUS XXI.

De Societate Lanionia.

Duo laniones, Bartholomæus, & Jacobus Societate sui opificij inita convenerunt inter se, ut unus illorum domi manens in macello, & mensa lanionia commodum utriusque promovere pro vinibus laboraret: alter autem in circumjacentem viciniam excurrens coëmeret necessaria pecora. contigit autem, ut Bartholomæus in vicinos pagos excurrens suo semper equo uteretur, atque sæpius ad prædium Jacobo suo collegæ proprium dirigeret, reperto ibidem pabulo suum equum nutriens.

Q. 1. Num à Jacobo domi manente aliquid refundi Bartholomæo debeat ratione equi in servitio & commodis Societatis occupati?

Q. 2. Utrum expensæ aliàs à Bartholomæo domi remanente faciendæ ex sumptibus in equum foris impensis possint subtrahi.

Q. 3. Num Bartholomæus absumpti fœni pretium collegæ Jacobo persolvere teneatur?

SYNOPSIS.

§. I.

Prenotanda.

- | | |
|---|---|
| 1. <i>Expense in Societate aliæ sunt circa merces.</i> | 4. <i>Aliæ sunt necessaria, aliæ utiles, aut superflue.</i> |
| 2. <i>Aliæ circa personam apponentem operam.</i> | 5. <i>De quantitate expensarum vel jam convenerunt inter se socij, vel non.</i> |
| 3. <i>Aliæ causâ Societatis, aliæ occasione Societatis.</i> | |

§. II.

Resolvitur primum Quæsitum.

Quanam expensæ à Socijs sint compensandæ?

- | | |
|---|--|
| 6. <i>Expense in pactum deductæ ex Societate sunt solvendæ.</i> | 9. <i>Aut ab ipso socio suam operam apponente ratione Societatis formaliter.</i> |
| 7. <i>Vel quas consuetudo approbat.</i> | 10. <i>Aliud dicendum de sumptibus, occasione tantum Societatis factis.</i> |
| 8. <i>Item quæ factæ cum ipsis mercibus.</i> | |

§. III.

Resolvitur primum Quæsitum?

Utrum Bartholomæo pro usu sui proprii equi ab altero Socio sit aliquid refundendum?

- | | |
|---|--|
| <p>11. In huius decisione præcipuè consideranda venit conventio utriusque.</p> <p>12. Utrum § qualiter equo indigerit Bartholomæus.</p> <p>13. Suppositâ etenim hac indigentia compensandus ex Societate usus equi videtur.</p> <p>14. Nisi ex conventionione aliqua portio lucri eidem ab initio assignata fuerit.</p> | <p>15. Aut gratis secum equum abierit.</p> <p>16. Eadem refusio ipsi debetur, si per accidens hæc extraneorum opera eidem à socio fuerit impedita.</p> <p>17. Omitti tamen hæc poterit, si equo nullatenus opus habuit.</p> <p>18. An autem illo opus non habuerit, ex circumstantijs colligendum.</p> |
|---|--|

§. IV.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Utrum expensæ aliæ à Bartholomæo remanente faciendæ ex sumptibus in equum fori, impensis possint subtrahi?

- | | |
|---|--|
| <p>19. Quod expensæ aliæ domi factæ nequaquam detrahendæ sint, videtur lege cum duobus §. qui dam legariam ff. de locio sed malè.</p> <p>20. Et lege si frater §. si quis ex locijs ff. pro socio; non tamen sufficienter.</p> <p>21. Uti etiam lege secundum Ju-</p> | <p>lianum ff. pro socio: sufficienter.</p> <p>22. Neque obstat, quod hæc nihil de expensis domi: factis legatur.</p> <p>23. Consuetudine locorum in hoc puncto si induan erit.</p> <p>24. Qua non data detractioni locum erit.</p> |
|---|--|

§. V.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Num Bartholomæus absumpti fani pretium Collegæ Jacobo persolvere teneatur?

25. Nullo jure Jacobus obligatur ad pabulum Bartholomæi equo suppeditandum.
26. Hinc vel ad totum, vel ad partem pro diversitate circumstantiarum illius pretium Bartholomæo refundendum, si domi aliâs factæ expensæ debeant subtrahi.
27. Quod si domi aliâs factæ expensæ non subtrahantur, medietas absumpti pabuli saltem à Jacobo solvenda erit.
28. Hinc occulta compensatione, si Bartholomæus solvere quidpiam recusaverit, Jacobus uti poterit.
29. Nisi usus equi fuerit necessarius, vel plurimum utilis, & sine pretio in commodum societatis subministratus.

§. I.

Prænotanda.

- 1 Pro solutione difficultatis advertenda primò venit diversitas expensarum, aliæ enim fiunt circa ipsas merces, quæ scilicet ad has vehendas, conducendas, transportandas, perficiendas faciendæ sunt in equos, currus, dolia, ad hos fines obtinendos necessaria.
- 2 Secundò aliæ expensæ sunt ipsius opponentis operas, & industriam, quas se sustentando in cibum & potum absumit, tum ipse, tum ejusdem famuli & equi.
- 3 Tertio aliæ expensæ fiunt causâ societatis formaliter, ac directè: aliæ occasione duntaxat societatis, & materialiter, v. g. opus mihi est curribus ad merces Norinbergâ transportandas Ratisbonam, expensæ in istos pecuniæ fuerunt factæ causâ societatis, directè ac formaliter. Quod si proprio nomine sine consensu ac voluntate sociorum occasione hujus itineris emero aliquot dolia vini, in horum emptionem factæ expensæ occasione tantum societatis & materialiter solum acciderunt.
- 4 Quartò. Expensarum ulterius aliæ sunt necessariae, aliæ utiles societati, aliæ superfluae.
- 5 Quintò de quantitate expensarum vel poterunt jam inter se convenisse socij vel non.

§. II.

Resolvitur primum Quæsitum.

Quenam expensæ à Socijs sine compensandæ?

- 6** Dico 1. Expensæ, quæ expressè, ut à societate perfolvantur, fuerunt in pactum deductæ, omnimodè ab illa etiam præstandæ erunt, Ita Layman *cap. 20. n. 5.* Palao *disp. 8. pu. 7. n. 7.* cum communi. Prob. *ex lege, si non fuerit ff. pro socio,* ubi tamen casus, qui apertam inæqualitatem continet, excipiendus erit.
- 7** Dico 2. Si circa solutionem expensarum nihil expressè in pactum fuerit deductum, illæ à societate perfolvendæ erunt, quas consuetudo loci approbat. Ita Gregorius Lopez, Molina, Rebellus, Lessius, Layman Palao. Prob. *concl. ex lege quod si nolit §. quia assidua ff. de edilitio edito.* Prob. 2. ex eo, quod contractus ex consuetudine loci interpretationem accipiant, *juxta legem: si fundus ff. de evictionibus.*
- 8** Dico 3. Expensæ circa ipsas mercès conducendas, asportandas &c. Necessariò factæ, quæ non sunt expensæ negotiantis sed in ipsis & cum ipsis mercibus factæ de bonis communibus societatis solvendæ erunt, nisi expressè contrarium in pactum fuerit deductum, aut loci consuetudine observatum. Ita communis omnium fundata in *lege si frater §. si quis ex socijs ff. pro socio.*
- Dico 4. Ad expensas ab uno sociorum suam operam apponente, ratione societatis formaliter, ac directè necessariò factas, tenentur concurrere etiam ceteri socij, modò apponens operam socius nullius culpæ reus extiterit. Ita Molina *disp. 418. Lessius cap. 25. dub. 4.* Rebellus *lib. 11. q. 7. n. 4.* Palao: *pu. 7. n. 4.* probatur conclusio *ex lege si frater §. si quis ex socijs ff. de socio. ibi: si quis ex socijs propter societatem profectus sit, veluti ad mercès conducendas, eos duntaxat sumptus societati imputabit. qui in eam profectus viaticæ igitur, & mercuriarum, & stabulariorum, jumentorum carularum, vecturas, vel fæ, vel facinarum suarum gratiæ, vel mercium rectè imputabit.* Hic tamen valdè providè Molina admonet, habendam esse rationem negotiorum, qualitatibus personarum, ita ut expensas rationabiles, & competentes oporteat esse, modo irrationabiliter, & superflue expensa ex suo marsupio negotians socius perfolvere debet.
- Dico 5. Expensæ materialiter indirectè atque ex occasione loci.

cietatis duntaxat factæ non erunt è marsupio societatis compensandæ. Ita sentiunt Sylvest. *V. societas* 1. n. 9. Bartolus *in legem socij §. socius ff. pro socio*. Rebellus *q. 7. n. 4. Lessius. dub. 4. n. 37. Molina disp. 4: 8. Prob. concl. similes expensæ non fiunt formaliter ex societate sed ex voluntate negotiantis socij sine reliquorum consensu, ex his concludit Palao n. 5. loci superius citati, titulo societatis nequaquam facien-*

dam compensationem bonorum ad societatem non pertinentium esse, quibus socius occasione duntaxat societatis ab inimicis spoliatus fuit, eò quòd socij nequam astringi debeant, ut compensent damnum socijs illatum, dum hoc præcipuè ex alio capite, quam ex societate provenit, prout contingit, si socius ex malitia adversarij licèt nulla culpa à depraedato per se fuerit commissa, spoliatur.

§. III.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum Bartholomæo pro usu sui proprij equi ab altero Socio sit aliquid refundendum?

11 **U**T ex jactis hætenus fundamentis primum casus nostri quæsitum resolvamus, ante omnia videndum, qualiter inter se isti duo laniones contraxerint: Num Bartholomæus perpetuò debuerit excurrere ad coëmendos boves &c. Jacobus autem manere constanter domi & distrahendis carnibus invigilare; vel utrum mutatis vicibus hac hebdomade, aut mense excurrerit Bartholomæus, altera hebdomade aut mense in circumjacentes agros egressus Jacobus fuerit?

12 Dein utrum equus ad coëmenda pecora fuerit absolute necessarius aut absque eo non nisi cum

difficultate quadam suum officium debitè obire Bartholomæus potuerit; vel denique illo usus duntaxat fuerit majoris commodi, ac recreationis gratiâ; Jacobus ex opposito quando illum ordo exundi tangebatur, pedes incefferit.

Dico **1.** Si Bartholomæus æqualem partem fortis cum Jacobo contulerat, equo etiam necessariò opus habuerat, usum illius, quo ad dimidiam partem à Jacobo refundendum, nisi ipse Bartholomæus suum equum gratuitò ad similes excursiones obtulerit. Ratio est, quòd juxta concl. **3.** & **4.** expensæ in commodum atque utilitatem societatis necessariò factæ

O o 3

ctæ

etæ, sint compensandæ: sed usus equi ponitur, fuisse necessarius, utilis, & comodus societati: ergo &c.

14 Dico 2. Casu quo Bartholomæus se peculiariter ad hanc operam equo suo præstandam obligaverit socio, insuper vi hujus operæ aliqua determinata pars lucri in compensationem assignata fuerit, præter istam nihil aliud potuit expetere pro usu & locatione sui equi, conclusio patet, illa enim portio est assignata compensatio elocati equi.

15 Dico 3. Æquè parùm à Bartholomæo poterit exigì, si omnino gratis se ista præstiturum, socio promiserat.

16 Dico 4. Si Bartholomæus vi initi contractûs ad hanc operam se peculiariter non obligaverat, hæc autem postmodum eidem à Jacobo committatur nulla extraordinaria pro hoc labore mercede assignata, pro hac elocatione, atque sui equi usu quidpiam expetere à socio Jacobo poterit; item adhuc aliquid insuper aliud, quod totum competentis ac debite mercedis terminos nondum excedit, probatur talis extraordi-

narius labor & elocatio equi non fuerunt ab ipso subeundi ratione contractûs ab initio initi, sed fuit actus supererogatorius. ergo pro illo poterit aliquid singulare expetere, quia toto hoc tempore in commune bonum societatis extraordinariè fuerat occupatus.

Dico 5. Si nequaquam multùm indiguerit hoc equo in bonum societatis, sed majoris proprii commodi ac recreationis duntaxat gratiâ illo usus fuerit, nulla eidem compensatio à Jacobo ob hoc præstanda erit. Ita Lugo de *Just. disp. 30. n. 28.* Ratio est, quòd solummodo expensæ competentes, ac rationabiles, non autem superflue sint compensandæ.

Dico 6. Ut decidatur, an usus equi fuerit necessarius aut superfluous, considerandæ erunt circumstantiæ, distantia scilicet locorum, quæ ad eundem, multitudinem & qualitas pecorum quæ adducenda, & praxis aliorum locorum in illa provincia observari solita, nec non exemplum Pauli, casu, quo etiam hic in vicinos pagos mutatis viribus excurreret.

§. IV.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An integra expensæ, quas Socius extra Domicilium existens causâ societatis fecit, ex communibus bonis solvendæ sint, an verò detractis ijs, quæ domi manens infumeret?

Judicabat lanio Jacobus suum socium Bartholomæum, dum ad coëmenda pecora in circumjacentes pagos excurrebat, ideo suo equo, qui eidem minùs necessarius esse videbatur, semper uti, quòd hac ratione sumptibus domi in sustentationem equi expensendis parceret, eò quòd vitium in itinere tali absumptum communis societatis massâ debebat, aut saltem solebat compensare, ex quo resultat difficulter resolvable dubium in titulo præsentis §. propositum.

19 Quod enim omnes sumptus in itinere ratione, & causâ societatis expensæ absque detractioe expensarum, quæ domi aliàs fuissent factæ, à societate persolvendi veniant, defendunt Navarrus cap. 17. n. 283. Molina disp. 418. Lessius cap. 15. dub. 4. n. 35. Layman lib. 3. summe, sect. 5. tract. 4. c. 20. n. 5. Saa verbo societas n. 4. Palao disp. 8. p. 7. n. 2. Pro fundamento suæ opinionis afferunt legem: cum duobus §. qui-

dam sagari in ff. pro socio Verùm ex hac lege nequaquam probari intentum perlegenti eandem clarè apparet; ibidem etenim duntaxat statuitur, ut ex societate omnes illæ res solvantur, quæ socius secum in negotio, & causâ societatis asportatæ, quando in latrones inciderat, deperdidit: ergo minimè ex hoc inferitur, quòd expensæ aliàs domi faciendæ nequaquam detrahendæ veniant. Dices in citata lege: saltem nihil dicitur, quòd expensæ interea domi faciendæ debeant detrahi: ergo non erunt detrahendæ. *ay*, conc. ant. neg. conf. Ratio est, quòd ibidem quæstio solùm mota fuerit, an commune omnibus socijs debeat esse damnum, quod unus illorum à latronibus exspoliatus passus fuerat in pecunia, quam perdidit, in suis servis, qui vulnerati, in rebus proprijs, quæ eidem in via ereptæ fuerant. Et ad hoc responsum affirmativè: quia igitur nullum dubium de sumptibus in itinere factis erat motum, mi-

zaxi

rari neuti quam debemus, quod de expensis domi faciendis nihil decisum fuerit.

Secundò suæ sententiæ facere judicant legem: *si fratres §. si quis ex socijs. ff. de socio* cuius tenorem jam superius num. 9. attulimus. Ad hanc tamen legem reponit de Lugo *disp. 30. sect. 3. n. 29.* sermonem ibidem esse de socio, qui ex nullo contractu ad operam conferendam teneatur; cum ergo in presenti nostro casu sermo, & quæstio moveatur de socio, qui vi contractus societatis suam operam conferre debebat, idè statutum de priore non erit extendendum ad præsentem casum. Omnibus enim patet, ejusmodi improprie dicto, & per accidens ad unum duntaxat negotium conficiendum assumpto socio integras itineris expensas sine ulla detractioe compensandas esse, eò quod toto illo tempore in comune societatis bonum incumbat.

Dices: Legem istam: *si fratres*: gratis restringi, quod solum loquatur de homine ad particulare negotium conducto, cum titulus earum Legum expressè agat *pro socio.* à nobis minimè afferi, ibidem sermonem esse de homine, qui non erat membrum societatis; sed occasionaliter, atque per accidens duntaxat conductus ad operam societati conductibilem præstandam: concedimus enim, illum fuisse verum socium, ac membrum societatis; dicimus

autem illum vi conventionis factæ non fuisse obligatum ad susceptionem hujus itineris in commodum societatis, atque hinc extraordinariam operam, & indebitam in se suscepisse, extraordinariâ quoque compensatione dignam.

Tertiò: pro se adducunt legem *secundum Julianum ff. pro socio. ubi: secundum Julianum tamen, & quod medicis pro se datum est, recipere potest, quod verum est.* Responderi potest, etiam in hac lege decidi duntaxat, quod damnum vi morbi in negotio, & causa societatis formaliter contracti, ut sanitas denuo recuperaretur incursum, è societate sit compensandum.

Sed promovetur ulterius argumentum ex his L. L. assumptum. Adducti textus expressè statunt, ut expensæ solvantur socio extra domicilium foras proficiscenti ad negotiationem: ergo domi aliis faciendas volunt non debent. Prob. conf. si hoc non deciderent, legum harum decisiones forent superflua. Prob. expensæ causæ societatis, & in ipsas merces factæ etiam solvendæ sunt domi negotianti: ergo, si prædictæ leges nihil deciderunt de sumptibus, quos apponens operam in sui, & equi sui sustentationem facit, erunt superflua.

Confirmant: leges dicunt, expensas à societate refundendas esse, se, nulla mentione facta, quod

solum excessus ultra sumptus alios domi faciendos sit refundendus: ergo &c. Sed respondetur, concedendo, quod in lege si frater S. si quis ex socijs ff. de socio, asseratur, etiam impensas ab opponente industriam suppeditatas esse à societate refundendas; dicimus tamen cum Lugone, ibidem de socio ex contractu societatis non obligato, & per accidens ad unum solummodo negotium conficiendum assumpto sermonem haberi, 17. 2. Etsi loquatur lex, si frater cit. de expensis in sustentationem apponentis operam factis, volunt tamen duntaxat illas compensandas, quas ultra debitum expendit: ultra debitum autem expendit illas solummodo, quæ detracta parte domi absumenda supersunt. Reliquas autem duas leges loqui duntaxat de damno causâ societatis incurso, quod reparandum ex societate sit. Ex his patet etiam responsio ad confirmationem.

23. Quartò: pro se allegant consuetudinem, quæ docet integra impendia à socijs præstanda, prout affirmat Layman, lib. 3. de justitia tract. 4. cap. 20. Reponimus in locis, in quibus hæc consuetudo viget, nulli detractio futurum, etiam juxta nos aliquem locum.

24. Dico itaque probabiliorẽ præscindendo à consuetudine contraria nobis videri sententiam, quæ docet, expensas domi alios faciendas detrahi posse à sumptibus cau-

sâ societatis in itinere ab uno istorum factis. Hanc sententiam amplexi sunt Sylvester v. societas 1. q. 12. Angel. n. 12. Armilla n. 10. major. 4. D. 15. q. 7. Rebellus lib. 15. q. 7. n. 2. Lugo de justitia disp. 30. sect. 3. n. 29. contra Navarum in Man. cap. 17. n. 283. Molinam disp. 418. n. 2. Lessium de societate: dub. 4. n. 35.

Prob. Bartholomæus, si domi mansisset, expensas in se, & equum suum faciendas ipse deberet solvere: ergo etiam debet ut absens in causa societatis. Prob. conf. societate contracta non debet hoc onus in socios rejicere, quia non sunt causâ societatis præstita: ergo &c.

Respondent adversi, si Bartholomæus domi mansisset, vel non aluisset equum tunc sibi non necessarium; vel aluisset in communibus pascuis; vel non tam caro pretio: vel etiam plus lucraretur eum elocando alijs: ergo domi manens nullas expensas in equum alendum fecisset. 1. poni casum, quo Bartholomæus suum equum ob alias necessitates domesticas, & non præcisè intuitu societatis emerit, atque aluerit: 2. Quod si domi manens nullos sumptus in equum fecisset, eò quod in communibus pascuis illum aluisset, nihil erit detrahendum, cum expensas solas domi faciendas concedamus posse detrahi: ubi ergo nullæ expensæ factæ fuissent, etiam nihil erit detrahendum. 3. Si

Pr

actu

actu habuisset occasionem elocandi suum equum alijs pro pretio; tunc de hoc admonendi fuerant socij, ut de compensatione hujus lucri cessantis convenirent.

Prob. 2. Nullus socius v. g. Jacobus, domi distrahens carnes, & societatis utilitatem promovens potest propterea suam sustentationem ex communibus bonis societatis excerpere: ergo neque Bartholomæus expensas domi aliàs faciendas ex illa potest accipere: aliàs ipse Jacobus longe deterioris esset conditionis, quàm sit suus collega, sicut enim Bartholomæus suam operam præter sortem confert extra urbem circumcurfando & coëmendo boves, vaccas &c. ita Jacobus præter collatam sortem etiam confert suam industriam, mactando, excorians, & vendendo carnes: ergo vel uterque debet integrè ex

bonis societatis sustentare, vel neuter.

Dices ex hoc sequi, eum, qui alteri ad certas dies suum equum locat, non posse à conductore exigere, ut sumptus in alendum equum faciat, eò quòd locator deberet illum domi alere, & neg. seq. hic enim celebratur contractus locationis in nostro autem casu societatis, quæ exigit, ut lucrum æquale sit, quod non fieret juxta probata in sententia opposita.

Prob. 3. Illud duntaxat Bartholomæo refundendum est, quod expendit ultra debitum: sed illud solum expendit ultra debitum, quod detracta parte, quam domi remanens absumpsisset, expendit: ergo hoc solum erit refundendum. prob. min. si hoc non fiat, tunc lucrum è societate capit, & in eo, quod domi manens absumpsisset, fit ditior,

§. V.

Resolvitur tertium Quæsitum

Num Bartholomæus absumpti fani pretium Collegæ Jacobo persolvere teneatur?

POSUIMUS in casu, Bartholomæum, cum in coëmendis varijs pecoribus extra urbem in villis occupatus esset, solitum sæpius, si non constanter, divertere ad prædium Jacobo collegæ suo

proprium ac detento ibidem loco suum equum nutrire, quo autem jure justa fecerit modo examinabimus.

Dico 1. Jacobum nullo Jure obligatum esse, ut ille solus Bar-

tholomæo pabulum ex suis rebus subministret. prob. neque obligatur ex speciali quadam conventionē, cum de pabulo suppeditando ponantur neutiquam convenisse neque ex regulis generalibus & communibus societatis, cum istæ velint & lucra, & damna inter socios æqualiter dividenda esse.

26 Dico 2. Si ab expensis in emptionem pecorum factis detrahendi sint sumptus, quos ipse Bartholomæus domi manens fecisset, ad totalem vel formaliter, vel æquivalenter faciendam restitutionem absumpti ex bonis Jacobi pabuli obstrictus Bartholomæus noster manet. prob. si verum est hoc suppositum, debuit Bartholomæus suo fœno alere equum, prout debuerat, si domi mansisset: ergo si alieno illum nutrit, tenetur ad illius restitutionem.

Prob. 2. Qui rem alienam formaliter, aut æquivalenter apud se retinet, ille habet ex re accepta obligationem restituendi: Bartholomæus retinet apud se saltem in æquivalenti rem alienam: ergo datur obligatio restituendi. prob. min. Bartholomæus retinet adhuc illas portiones fœni, quas debuisse in sustentationem sui equi impendere, & quibus percipit absumendo injustè res sui college Jacobi: ergo &c. minime etenim decens est aliquem cum alterius damno locupletari.

Dico 3. Si expensæ domi aliàs 27 à Bartholomæo faciendæ ex sumptibus causâ negotiationis factis non debuerunt detrahi, Bartholomæum obstrictum fuisse dimidiam partem pretij, quo pabulum Jacobinum absumptum constabat, persolvere suo collegæ, ita ut hac ex portione aliàs eidem obvénientis lucri à Jacobo potuerit detrahi, & pro se retineri. Ratio est, quòd in societate, lucrum, expensæ atque damnum debeant inter socios æqualiter dividi, habita ratione ad sortem, quam singuli contribuerunt, & operæ, quam impenderunt: sed hæc ponuntur fuisse æqualia: ergo &c.

Dico 4. Hinc apud Jacobum 28 occultæ compensationi locum futurum, si alia ratione illatum sibi à socio damnum reparare, & se indemnem reddere nequeat, certum enim est debitum, videnturque cæteræ ad hanc necessariæ conditiones adesse.

Dico 5. Si tamen usus equi ad 29 negotiationem fuerit necessarius vel plurimum conducibilis: pro illo tamen à Bartholomæo nihil mercedis expetitum fuerit, æquitas rei videtur exposcere, ut pro absumpto pabulo nullum pretium Jacobus desideret. Ratio est, quod præter cessans lucrum, quod forsitan alijs elocando pro tali tempore suum equum potuisset Bartholomæus facere, hic insuper ex suis pabulum debuisse solvere ob
 Pp 2
 usum

usum equi in majus commodum societatis impensum

Dices : si Jacobus pro suo absumpto pabulo nihil potest exigere , tunc non poterit detrahi pabulum , quod equus Bartholomæi domi manentis absumpsisset : ergo falsa sunt , quæ in §. 4. n. 24. decidimus , expensas scilicet domi faciendas debere aut saltem posse subtrahi. R. nos in hac conclus. §. dicere , posse nullum

pretium exigere pro absumpto Jacobo pabulo , si equus fuerit necessarius , plurimum conducibilis , & (quod bene notandum) si pro hoc equi usu nulla merces à socio Jacobo ipsi Bartholomæo fuerit persoluta ; nec iste ad impendendum suum equum in bonum societatis ex facta conventionem obligatus hæc autem circumstantia non dabitur semper in quolibet societate.



CASUS XXII.

De Societate Praxatoria.

Sempronius ex privilegio sibi , aliisque ratione certi officii , quod obibat , concessio , ad communem cassam domus praxatoriæ confert centum florenos , ratione quorum annuatim indeterminati quidam reditus (conferentes subinde etiam 40. florenos) ex distracta cerevisia ut lucrum comparati , eidem pendendi erant . cum autem praxato Sempronio parata pecunia deesset , syngrapham seu obligationem aliquam loco pecuniarum offert , qua promittit , se post unum vel alterum annum promissos hos centum florenos certo soluturum esse . Interea tamen pro quod unius anni accipit quadraginta florenos , quod scilicet alij accipiunt , qui centum florenos in parata pecunia deposuerunt.

Q. 1. An quadraginta floreni primo anno à Sempronio percepti , ut debitum censuale accipi ac retineri possint?

Q. 2.